



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De duabus partibus quasi integralibus iusti[a]e, qu[a]e sunt facere bonum,
& declinare à malo. Qu[a]estio 79.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

pter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur: exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael, Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro, vt dicitur Ierem. 41.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, non consentit in peccatum vsurarij, sed vitur eo, nec placet ei vsuratum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona.

Ad secundum dicendum, quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, non dat occasionem vsurario vsuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem vsurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: vnde scandalum passiuum ex parte sua est, non autem actiuum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passiuum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia huiusmodi passiuum scandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia.

Ad tertium dicendum, quod si quis committeret pecuniam suam vsurario non habenti aliàs vnde vsuras exerceret; vel hac intentione committeret, vt inde copiosius per vsuram lucraretur: daret materiam peccandi: vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario aliàs habenti vnde vsuras exercet, pecuniam suam committat, vt tutius seruetur: non peccat, sed vitur homine peccatore ad bonum.

QVÆST. LXXIX.

De integralibus iustitiæ partibus, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de partibus quasi integralibus iustitiæ, quæ sunt bonum facere, & à malo declinare: & de vitijs oppositis.

¶ Circa quod quærentur quatuor.

¶ Primo, vtum duo prædicta, sint partes iustitiæ?

Q 4 ¶ Se-

¶ Secundo, utrum transgressio sit speciale peccatum?

¶ Tertio, utrum omissio sit speciale peccatum?

¶ Quarto, de comparatione omissionis ad transgressionem.

ARTIC. I.

*Utrum declinare a malo, & facere bonum, sint partes iustitiæ?*421
Ps. 33. co.
7. Et Ps.
36. co. 29.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod declinare a malo, & facere bonum, non sint partes iustitiæ. Ad quamlibet enim virtutem pertinet facere bonum opus, & malum vitare. Sed partes non excedunt totum. Ergo declinare a malo, & facere bonum, non debent poni partes iustitiæ, quæ est quædam virtus specialis.

Est Cas-
siodori su-
per istum
loc. Ps. 33

¶ 2 Præterea, * Super illud Psal. 33. Diuertere a malo, & fac bonum: dicit gloss. Illud vitat culpam, scilicet diuertere a malo: hoc meretur vitam, & palmam, scilicet facere bonum. Sed quælibet pars virtutis meretur palmam, & vitam. Ergo declinare a malo non est pars iustitiæ.

* c. 1. cir.
med t. 7.

¶ 3 Præterea, Quæcumque ita se habent, quod vnum includitur in alio, non distinguuntur ab invicem, sicut partes alicuius totius. Sed declinare a malo includitur in hoc, quod est facere bonum: nullus enim simul facit bonum, & malum. Ergo declinare a malo, & facere bonum, non sunt partes iustitiæ.

SED contra est, quod Aug. in lib. de correptione, & gratia ponit ad iustitiam legis pertinere, declinare a malo, & facere bonum.

RESPONDEO dicendum, quod si loquamur de bono & malo in communi, facere bonum, & vitare malum pertinent ad omnem virtutem: & secundum hoc non possunt poni partes iustitiæ, nisi fortè iustitia accipiat prout est omnis virtus. Quævis etiam iustitia hoc modo accepta respiciat quantum ad rationem boni specialem, prout scilicet est debitum in ordine ad legem diuinam, vel humanam. Sed iustitia secundum quod est specialis virtus, respicit bonum
sub

sub ratione debiti ad proximum. Et secundum hoc; ad iustitiam specialem pertinet facere bonum subtractione debiti, in comparatione ad proximum; & vitare malum oppositum, scilicet quod est nocivum proximo. Ad iustitiam verò generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem, & ad Deum; & vitare malum oppositum. Dicuntur autem hæc duo partes iustitiæ generalis vel specialis, quasi integrales: quia utrumque eorum requiritur ad perfectum actum iustitiæ.

Ad iustitiam enim pertinet æqualitatem constituere in his quæ sunt ad alterum, ut ex supra dictis patet*. Eiusdem autem est constituere aliquid, & constitutum conservare in his, quæ sunt ad alterum. Constituit autem aliquis æqualitatem iustitiæ, faciendo bonum, id est reddendo alteri quod ei debetur. Conservat autem æqualitatem iustitiæ iam constitutæ, declinando à malo, id est nullum nocivum proximo inferendo.

Ad primum ergo dicendum, quod bonum & malum hic accipiuntur sub quadam speciali ratione, per quam appropriantur iustitiæ. Ideò & hæc duo ponuntur partes iustitiæ secundum aliquam propriam rationem boni & mali: non autem alicuius alterius virtutis moralis: quia aliæ virtutes morales consistunt circa passiones, in quibus bonum facere, est venire ad medium, quod est declinare ab extremis quasi à malis. Et sic in idem redit quantum ad alias virtutes, facere bonum, & declinare a malo. Sed iustitia consistit circa operationes & res exteriores, in quibus aliud est facere æqualitatem, & aliud est factam non corrumpere.

Ad secundum dicendum, quod declinare à malo secundum quod ponitur pars iustitiæ, non importat negationem puram, quod est non facere malum: hoc enim non meretur palmam, sed solum vitat peccatum. Importat autem motum voluntatis rejudicantis malum: ut ipsum nomen declinationis ostendit. Et hoc

q 38 a. 2

hoc est meritorium, præcipue quando aliquis impugnatur ut malum faciat, & resistit.

Ad tertium dicendum, quod facere bonum est actus completius iustitiæ, & quasi pars principalis eius. Declinare autem a malo est actus imperfectior & secundaria pars eius. Et ideo est quasi pars materialis eius, sine qua non potest esse pars formalis completiva.

ARTIC. II.

Utrum transgressio sit speciale peccatum?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod transgressio non sit speciale peccatum. Nulla enim species ponitur in definitione generis. Sed transgressio ponitur in comuni definitione peccati. Dicit enim Ambr.* quod peccatum est transgressio legis diuine. Ergo transgressio non est species peccati.

¶ 2 Præterea, Nulla species excedit suum genus. Sed transgressio excedit peccatum: quia peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, ut patet per Aug. 22. contra Faustum*. Transgressio etiam est contra naturam, vel consuetudinem. Ergo transgressio non est species peccati.

¶ 3 Præterea, Nulla species continet sub se omnes partes, in quas diuiditur genus. Sed peccatum transgressionis se extendit ad omnia vitia capitalia, & etiam ad peccata cordis, oris, & operis. Ergo transgressio non est speciale peccatum.

SED contra est, quod opponitur speciali virtuti, scilicet iustitiæ.

RESPONDEO dicendum, quod nomen transgressionis à corporalibus motibus ad actus morales deriuatum est. Dicitur autem aliquis secundum corporalem motum transgredi, ex eo quod graditur trans terminum sibi præfixum. Terminus autem præfigitur homini, ut ultra non transeat in moralibus, ut præceptum negatiuum. Et ideo transgressio proprie dicitur ex eo quod aliquis agit aliquid contra præceptum negatiuum. Quod quidem materia-

422
Inf. a 3.
ad 3. Et
ar. 4. ad
3.
li. de p. 2.
radiso, c.
2. parum
ante me-
d. n. to. 4.
lib. 22. c.
27. i. p. r.
cip. to. 6.

terialiter potest esse commune omnibus speciebus peccatorum : quia per quamlibet speciem peccati mortalis, homo transgreditur aliquod præceptum diuinum. Sed si accipiatur formaliter, scilicet secundum hæc specialem rationem, quod est facere contra præceptum negatiuum : sic est speciale peccatum dupliciter. Vno quidem modo secundum quod opponitur ad genera peccatorum opposita alijs virtutibus. Sicut enim ad propriam rationem iustitiæ legalis pertinet attendere debitum præcepti : ita ad propriam rationem transgressionis pertinet attendere contemptum præcepti. Alio modo secundum quod distinguitur ab omissione, quæ contrariatur præcepto affirmatiuo.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut iustitia legalis est omnis virtus subiecto, & quasi materialiter : ita etiam iniustitia legalis est quasi materialiter omne peccatum. Et hoc modo peccatum diffiniuit * *Loco citi in arg*
Ambr. secundum rationem iniustitiæ legalis.

Ad secundum dicendum, quod inclinatio naturæ pertinet ad præcepta legis naturalis, consuetudo etiã honesta habet vim præcepti : quia vt August. * dicit in epist. de ieiunio sabbati, Mos populi Dei pro lege habendus est. Et ideo tam peccatum quam transgressio potest esse contra consuetudinem honestam, & contra inclinationem naturalem. *Epist. 26. ad Casul. nō longe à prius. 10. 2.*

Ad tertium dicendum, quod omnes enumeratæ species peccatorum possunt habere transgressionem, non secundum proprias rationes, sed secundum quamdam specialem rationem, vt dictum est *. *In corp. art.*
Peccatum autem omissionis omnino à transgressionē distinguitur.

ARTIC. III.

Vtrum omisio sit speciale peccatum?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod omisio non sit speciale peccatum. Omne enim peccatum aut est originale, aut actuale. sed omisio non est originale peccatum, quia non contra-

423
1. 2. q. 71
art. 5. Et
2. d. 35.
art. 3. Et
ma q. ...
art. 1.

371. a. 5 hitur per originem. nec est actuale: quia potest esse absque omni actu, ut supra habitum est *, cum de peccatis in communi ageretur. Ergo omissio non est speciale peccatum.

¶ 2 Præterea, Omne peccatum est voluntarium. Sed omissio quandoque non est voluntaria, sed necessaria: puta cum mulier corrupta est, quæ virginitatem vouit; vel cum aliquis amisit rem quam restituere tenetur; vel cum sacerdos tenetur celebrare, & habet aliquod impedimentum: Ergo omissio non semper est peccatum.

¶ 3 Præterea, Cuilibet speciali peccato est determinare aliquod tempus, quando incipit esse; Sed hoc non est determinare in ommissione: quia, quodcumque non facit, similiter se habet, nec tamen semper peccat. Ergo omissio non est speciale peccatum.

¶ 4 Præterea, Omne peccatum speciale speciali virtuti opponitur. Sed non est dare aliquam specialem virtutem, cui ommissio opponatur: tum quia boni cuiuslibet virtutis omitti potest: tum quia iustitia, cui specialius videtur opponi, semper requirit aliquem actum, etiam in declinatione à malo, ut dictum est *. Omissio autem potest esse absque omni actu. Ergo ommissio non est speciale peccatum.

SED contra est, quod dicitur Iacob. 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.

RESPONDEO dicendum, quod ommissio importat præmissionem boni, non autem cuiuscunque, sed boni debiti. Bonum autem sub ratione debiti pertinet proprie ad iustitiam. Ad legalem quidem, si debium accipiatur in ordine ad legem diuinam, vel humanam. Ad specialem autem iustitiam, secundum quod debitum consideratur in ordine ad proximum. Vnde eo modo, quo iustitia est specialis virtus, ut supra habitum est *, etiam ommissio est speciale peccatum distinctum à peccatis quæ opponuntur alijs virtutibus. Eo verò modo quo facere bo-

4. 58. a. 6
7 & 8.

bonum, cui opponitur omiffio, est quædam fpecialis pars iuftitiæ diftincta à declinatione mali, cui opponitur transgreffio, etiam omiffio à transgreffione diftinguitur.

Ad primum ergo dicendum, quòd omiffio non est peccatum originale, fed actuale, non quia habet aliquem actum fibi effentialem, fed fecundum quod negatio actus reducit ad genus actus. Et fecundum hoc non agere accipitur vt agere quoddam, ficut fupra dictum est *.

Ad fecundum dicendum, quòd omiffio, ficut dictum est †, non est nifi boni debiti, ad quod aliquis tenetur. Nullus autem tenetur ad impoffibile. Vnde nullus fi non facit id quod facere non potest, peccat per omiffionem. Mulier ergo corrupta, quæ virginitatem vouit, non omittit virginitatem non habendo, fed non pœnitendo de peccato præterito, vel non faciendo quod potest ad votum adimplendû per continentie obseruantiam. Sacerdos etiam non tenetur dicere miffam, nifi fupposita debita oportunitate, quæ fi defit, non omittit. Et fimiliter aliquis tenetur ad reftitutionem, fupposita facultate, quam fi non habet, nec habere potest, non omittit, dummodo faciat quod potest. Et idem dicendum est de alijs.

Ad tertium dicendum, quòd ficut peccatum transgreffionis opponitur præceptis negatiuis, quæ pertinent ad declinandum à malo: ita peccatum omiffionis opponitur præceptis affirmatiuis, quæ pertinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmatiua non obligant ad femper, fed ad tempus determinatum: & pro illo tempore peccatum omiffionis incipit effe. Potest tamen contingere, quod aliquis tunc fit impotens ad faciendum quod debet. Quod quidem fi fit præter eius culpam, non omittit quod debet, vt dictum est *. Si verò fi propter eius culpam præcedentem, puta cum aliquis de fero fe inebriauit, & non potest fu gere ad matu-

I 2. q. 71
a. 6. ad 1.
In cor. a.

In folut.
ad ar. u.
præ. &
1. 2. q. 71
ar. 5.

tin. 5.

tinat, ut debet: dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum & impossibilem cum illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum: quia dato quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet quod præcedens inebriatio non fuit ommissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod ommissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua ommissio sequens redditur voluntaria.

In cor. 2. Ad quartum dicendum, quod ommissio directe opponitur iustitiæ, ut dictum est*. Non enim est ommissio boni alicuius virtutis, nisi sub ratione debiti, quod pertinet ad iustitiam. Plura autem requiruntur ad actum virtutis meritorium, quam ad demeritum culpæ: quia bonum est ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Et ideo ad iustitiæ meritum requiritur actus, non autem ad omissionem.

ARTIC. IV.

Utrum peccatum omissionis sit grauius, quam peccatum transgressionis?

424
Mat. 9. 2
a. 1. ad 4
et ar. 9.
cor.
AD quartum sic proceditur. Videtur, quod peccatum omissionis sit grauius, quam peccatum transgressionis. Delictum enim videtur idem esse quod derelictum: & sic per consequens videtur idem esse omissioni. Sed delictum est grauius, quam peccatum transgressionis: quia maiori expiatione indigebat, ut patet Leuit. 5. Ergo peccatum omissionis est grauius quam peccatum transgressionis.

In 3. c. 10
cir prin.
tom 5.
a. 1. ad 3
¶ 2 Præterea, Maiori bono maius malum opponitur, ut patet per Philosoph. in 8. Ethic.* Sed facere bonum, cui opponitur ommissio, est nobilior pars iustitiæ, quam declinare à malo, cui opponitur transgressio, ut ex supra dictis patet †. Ergo ommissio est grauius peccatum quam transgressio.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Peccatum transgressionis potest esse & veniale & mortale. Sed peccatum omissionis videtur esse semper mortale, quia opponitur præcepto affirmatiuo. Ergo omiffio videtur esse grauius peccatum, quàm sit transgressio.

¶ 4 Præterea, Maior pœna est pœna damni, scilicet carentia visionis diuinæ, quæ debetur peccato omissionis, quàm pœna sensus, quæ debetur peccato transgressionis: vt patet per Chrysoft. super Matt.* Sed pœna proportionatur culpæ. Ergo grauius est peccatum omissionis quàm transgressionis.

*hom. 47.
ad pop.
Antioch.
to. 5.*

SED contra est, quod facilius est abstinere à malo faciendo, quàm implere bonum. Ergo grauius peccat, qui non abstinere à malo faciendo, quod est transgredi, quàm qui non implet bonum, quod est omittere.

RESPONDEO dicendum, quòd peccatum in tantum est graue, in quantum à virtute distat. Contrarietas autem est maxima distantia, vt dicitur in 10. Metaph.* Vnde contrarium magis distat à suo contrario, quàm simplex eius negatio: sicut nigrum plus distat ab albo, quàm simpliciter non album. Omne enim nigrum est non album, sed non conuertitur. Manifestum est autem, quòd transgressio contrariatur actui virtutis, omiffio autem importat negationem ipsius. Puta peccatum omiffionis est, si quis debitam reuerentiam parentibus non exhibeat: peccatum autem transgressionis, si contumeliam, vel quamcumque iniuriam eis inferat. Vnde manifestum est, quòd simpliciter & absolute loquendo, transgressio est grauius peccatum, quàm omiffio, licet aliqua omiffio possit esse grauior aliqua transgressione.

*l. 10. text.
13. et 14.
tom. 3.*

Ad primum ergo dicendum, quòd delictum communiter sumptum significat quamcumque omiffionem. Quandoque tamen strictè accipitur pro eo quòd omittitur aliquid de his, quæ pertinent ad Deum; vel quando scienter & quasi cum quodam

dam contemptu derelinquit homo id quod facere debet. Et sic habet quandam grauitatem, ratione cuius maiori expiatione indiget.

Ad secundum dicendum, quod ei, quod est bonum facere, opponitur & non facere bonum, quod est omittere; & facere malum, quod est transgredi: sed primum contradictorie, secundum contrarietatis, quod importat maiorem distantiam. Et ideo transgressio est grauius peccatum.

Ad tertium dicendum, quod sicut omisio opponitur præceptis affirmatiuis, ita transgressio opponitur præceptis negatiuis. Et ideo utrumque si proprie accipiamur, importat rationem peccati mortalis. Potest autem largè dici transgressio vel amissio, ex eo quod aliquid sit præter præcepta affirmatiuis, vel negatiua, disponens ad oppositum ipsorum. Et sic utrumque largè accipiendo potest esse peccatum veniale.

Ad quartum dicendum, quod peccato transgressio nis respondet & poena damni, propter auersionem à Deo; & poena sensus, propter inordinatam conuersionem ad bonum commutabile. Similiter etiam omisio non solum debetur poena damni, sed etiam poena sensus, secundum illud Mat. 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittatur. Et hoc propter radicem ex qua procedit, licet non habeat ex necessitate actualem conuersionem ad aliquod bonum commutabile.

QVÆST. LXXX.

De paribus potentialibus iustitiæ.

Deinde considerandum est de paribus potentialibus iustitiæ, id est, de virtutibus ei annexis.

- ¶ Et circa hoc duo sunt consideranda.
- ¶ Primo quidem, quæ virtutes iustitiæ annexantur.
- ¶ Secundo, considerandum est de singulis virtutibus iustitiæ annexis.